

tam activam et contemplativam, eo quod propria vita hominis est secundum rationem; ratio autem dividitur adæquate in speculativam, et practicam, et hæc est activa vel contemplativa. Et ideo agit de vita activa, et contemplativa, primo in communi quantum ad utrumque membrum divisionis, quæstione CLXXIX. Secundo, de qualibet seorsum secundum se. Tertio, de comparatione utriusque inter se.

In speciali ergo agit de vita contemplativa, in qua considerat ejus essentiam, objectum, actus, et dispositiones antecedentes, et concomitantes. Essentialis ratio contemplativæ intendit solam veritatis cognitionem. Præcipua autem veritas, quæ intendi potest est cognitio finis ultimi, qui est veritas divina. Et quia vis appetitiva est quæ intendit, et ex intentione movet alias potentias etiam ipsum intellectum, ideo vita contemplativa motive est in voluntate, formaliter in intellectu. Et ex parte voluntatis pertinent dispositive ad ipsam, et antecederent, ad virtutes morales quibus perficitur pars appetitiva, ne ratio contemplantis perturbetur per passiones, et sic ut moveatur quis ad contemplandum præsupponitur voluntas quieta et rectificata per virtutes. Ex parte autem virtutis intellectivæ in qua formaliter exercetur contemplatio etiam plures actus concurrunt; contemplamur enim veritatem aliquam deductam ex principiis quibus nobis manifestatur, et ideo requiritur primo acceptio principiorum: deinde deductio, seu manifestatio veritatis contemplandæ ex illis, et tandem circa veritatem deductam fixa cognitio, et hæc est ipsa contemplatio. Ex parte objectorum, licet principaliter versetur circa veritatem divinam, tamen ut perveniat ad illam progreditur per effectus creatos tamquam per dispositiones antece-

dentes, nec tamen pervenit ad visionem Dei nisi in alia vita. Et de hoc agit quæstione CLXXX.

Secundo, agit de vita activa, quæ essentialiter ordinatur ad operationem, et ideo virtutes morales per quas dirigimur in operationibus virtuosus non solum dispositive, sed etiam essentialiter pertinent ad ipsam, cum per eas exercentur. Et de hac agit quæstione CLXXXI. De comparatione autem utriusque vitæ activæ, et contemplativæ inter se, puta quæ sit dignior, et quænam majoris meriti ex suo genere, et an se invicem impediunt, agit quæstione CLXXXII.

DIVISIONES MINISTRATIONUM.

Post divisiones gratiarum, et operationum sequitur agere de his quæ pertinent ad divisiones ministratum secundum varia officia, et status, quæ ministrant in Ecclesia. Circa quod considerat duo. Primo, ipsam rationem status, et officii in communi, deinde in particulari. Circa primum, distinguit D. Thomas triplicem diversitatem in membris Ecclesiæ, qui sunt fideles. Una quæ ordinatur ad perfectionem, alia quæ ordinatur ad actionem, tertia quæ ordinatur ad pulchritudinem, et ordinatam dispositionem Ecclesiæ. Ad perfectionem ordinatur diversitas statuum, sicut dicitur status perfectorum proficientium, et incipientium. Dicitur enim status dispositio aliqua secundum aliquam immobilitatem, et quietem, quia tunc statum cum quiescitur. In moralibus autem immobilitas fit secundum aliquam obligationem præsertim procedentem ex voto, vel contractu, et sic secundum rationem obligationis sumitur ratio status, sicut est status matrimonialis, religiosorum, episcoporum, etc. Et secundum quid,

et imperfecte invenitur status in proficientibus, et incipientibus. Ad actiones autem diversas exercendas ordinantur in Ecclesia diversa officia, quia ut dicitur Romanor. XII: *Non omnia membra eundem actum habent*, sicut est de officio diaconi, et subdiaconi, etc. Ad pulchritudinem autem quæ consurgit ex distinctione, et dispositione ordinis in Ecclesia ordinatur diversitas graduum, ut scilicet in officiis, et statibus alius habeat inferiorem gradum, alius altiorem. Et de hoc agit quæstione CLXXXIII.

In particulari autem non agit hic D. Thomas de diversitate officiorum, vel graduum quæ pertinent ad sacra ministeria, quia de his agitur tractando de Sacramento ordinis. De statibus etiam, omittit statum matrimonii, pertinet enim ad Sacramentum matrimonii. Unde solum tractat de statu perfectorum: nam status incipientium, et proficientium reducuntur ad statum perfectorum sicut imperfectum ad perfectum. Status ergo perfectorum consideratur a D. Thoma dupliciter. Primo in communi. Secundo in speciali quoad duplicem statum episcoporum et religiosorum. In communi considerat statum perfectionis, quod sumitur ex charitate, quæ ut dicit Apostolus est vinculum perfectionis, eo quod unit nos Deo in quo consistit summa perfectio nostra. Potest autem dupliciter perfici charitas uno modo per totalem exclusionem sui contrarii, id est, peccati mortalis, et sine hac perfectione non potest charitas haberi, alio modo per exclusionem eorum quæ impediunt, et retardant excellentiam charitatis, sive quantum ad Deum, sive quantum ad proximum, quæ excellentia major charitatis consideratur in majori vacatione amoris Dei, vel beneficentiæ erga proximos, et ad hæc ordinantur consilia quibus me-

lius disponimur ad vacandum Deo. Et quia status importat obligationem aliquam qua aliquis immobilizatur ad aliquid, ideo non est idem esse perfectum, et habere statum perfectionis, sed status involvit obligationem ad perfectionem, non autem omnis qui se obligat ad aliquid, statim habet illud. Quare status perfectionis sunt in charitate, et vita christiana. Et nascitur duplex modus talis obligationis: nam vel potest aliquis se obligare ad faciendum ea quibus acquirit sibi perfectionem, vel ad faciendum ea quibus aliis eam communicat; et primo modo est status perfectorum quasi passive, et tales sunt religiosi, per religionem enim intendunt fieri perfecti in se. Secundo autem modo est status perfectorum quasi active, sicut sunt prælati ad quos pertinet alios pascere, et docere, quod est communicare perfectionem, sed non qualescumque prælati hunc statum habent, sed illi, qui ex obligatione perpetuo adstringuntur ad pascendos alios etiam ponendo pro ovibus animam suam, qui est excellentissimus actus charitatis, et tales sunt episcopi, unde et convenienter ex primo ordine status perfectorum transitur ad secundum, id est, ex religiosis episcopi assumuntur, si tamen religiosi sunt. De hoc ergo agit quæstione CLXXXIV.

In speciali autem agit primo, de statu episcoporum, qui est perfectior. Quomodo videlicet possit appeti si desideretur ut opus, non si desideretur ut prælatio, et dignitas. Unde Apostolus non dixit: Qui episcopatum desiderat, bonam prælationem desiderat, sed bonum opus, loquens valde formaliter in ly opus, quasi dicat magnum opus in ratione operis desiderat. Et similiter, an possit recusari, vel deseri propter periculum, etc. et de his agit quæstione CLXXXV.

Secundo, agit de alio statu perfectionis, scilicet religiosorum de quo tractat quatuor. Primo, in quo consistat ille status. Secundo, quæ actiones licite conveniant religiosi. Tertio, de divisione religionum. Quarto, de ingressu in religionem. Circa primum, status religionis importat mancipationem, et obligationem ad serviendum Deo, et tendendum ad perfectionem charitatis per exclusionem eorum quæ id possunt impedire. Et quia tria sunt, quæ hominem maxime retrahunt, et impediunt a Deo, scilicet bona exteriora, quæ possidentur, bonum proprii corporis, quod per delectationem sensibilium impletur, inter quæ excellunt delectationes venereæ, et denique bonum propriæ voluntatis, quod maxime consistit in libertate propria, ideo status perfectionis in religiosi tria ista debet amputare. Primum per votum paupertatis, secundum per votum castitatis, tertium per votum obedientiæ, et debent esse voto firmata, ut perpetuam stabilitatem habeant ex parte sui sicut requiritur ad rationem status. Et ad hæc tria reducuntur omnia, quæ sunt in mundo, scilicet concupiscentia carnis, contra quam est castitas: concupiscentia oculorum, quæ pertinet ad possessionem divitiarum, contra quam est paupertas: superbia vitæ, quæ est libera elatio spiritus, contra quam est subjectio obedientiæ. Et de hoc agit quæstione CLXXXVI.

Circa secundum, excludit ea quæ aliqui dicebant circa actiones religiosorum volendo non esse illis li-

eitas, sicut docere, prædicare, tractare sæcularia negotia quando id exigit charitas, emendicare, et de eleemosynis vivere, et aliæ similes actiones, quæ ad finem charitatis ordinantur, et contra regulam non sunt, quas ostendit licere religiosi quæstione CLXXXVII.

Circa tertium, scilicet divisionem, et varietatem religionum, ostendit omnes religiones convenire in uno fine communi, scilicet quod ad perfectionem charitatis tendant, sed differre in mediis, seu finibus particularibus quos unaquæque intendit ad assequendum diversimode istum finem, vel etiam secundum quod habentur in una religione diversa exercitia, quam in alia secundum majorem, vel minorem rigorem, vel austeritatem, etc. Unde ad omnia illa ad quæ se extendit perfectio charitatis circa Deum, et proximum potest religio tendere, et secundum diversa opera diversimode institui, v. g. ad opera vitæ contemplativæ, ut ad orandum, studendum, psallendum, vel ad opera vitæ activæ, ut ad docendum, prædicandum, redimendum, curandum infirmos, vel etiam ad utraque opera simul, scilicet vitæ activæ, et contemplativæ, et de his agit quæstione CLXXXVIII.

Circa quartum, scilicet ingressum religionis ostendit, qui sint apti ad ingressum, quomodo liceat obligari voto ad illum, et quomodo possint pueri ad religionem induci, et admitti, quomodo etiam liceat de una religione ad aliam transire, et alia similia ad ingressum pertinentia tractat quæstione CLXXXIX.

ORDINATIO TERTIÆ PARTIS

PER SUAS MATERIAS, ET QUÆSTIONES.

Postquam D. Thomas egit de Deo, ut est in se, et ut est causa effectiva creaturarum, et specialiter finis creaturæ rationalis ad quem pervenire potest per suos actus, restat agere de Deo, ut est via per quam regredimur ad ipsum per redemptionem a peccatis, quod est agere de Deo, ut Salvatore de cujus gratiæ plenitudine omnes accepimus; et a quo derivatur tota efficacia, et valor reparationis nostræ ad Deum. Et tractatum istum de Deo Salvatore dividit D. Thomas in tres partes principales. Primo enim agit de ipso mysterio incarnationis, et de perfectionibus convenientibus Christo, de ejusque actionibus, et vita usque ad quæstionem LX. Secundo, agit de mediis quibus ei unimur, et quibus reparationem hanc nobis applicat, scilicet de Sacramentis. Tertio, de ipso effectu, et fine ad quem pervenimus per hanc reparationem, scilicet de gloria immortalis.

MYSTERIUM INCARNATIONIS.

Ad explicandum incarnationis mysterium præmittit D. Thomas, in quæstione I id quod pertinet ad quæstionem an est, videlicet de convenientia incarnationis. Cujus principalis causa, et motivum ex parte Dei fuit ejus immensa bonitas, et: *Viscera misericordix quibus visitavit nos Oriens ex alto*. Ex parte autem nostri motivum principale fuit salus nostra, propter quam descendit de cælis, et homo factus est. Unde consideratur a D. Thoma convenientia incarnationis, et ex parte

Dei, ut maxime se communicaret creaturæ, et necessitas ex parte nostri non absoluta, sed ut talis finis consequeretur, scilicet satisfactio pro peccato rigorosa, et plena redemptio. Et ex eodem principio etiam colligit, quod si hæc redemptio fuit motivum propter quod incarnatio decreta est, si hoc motivum cessaret, aliud decretum daretur, ut alio modo veniret, vel absolute non veniret. Et ita de hac convenientia incarnationis agit quæstione I.

Exinde expedita quæstione an est, transit D. Thomas, ad explicandam rationem, et substantiam hujus mysterii. Tota autem substantia incarnationis consistit in unione duarum naturarum divinæ, et humanæ in una Persona Verbi. Unde ejus consideratio consistit, tum in cognitione extremorum, et ita primo agit de ipsa unione. Secundo, de extremis unitis. De unione considerat ejus rationem ostendendo esse longe diversam ab omni ea, quam agnoverunt philosophi, et ex illis acceperunt hæretici. Philosophi enim nunquam agnoverunt unionem substantialem, quæ esset ad aliquod suppositum, et non ad constituendam aliquam naturam, sed potius naturas relinqueret inconfusas, et impermixtas in eadem persona. Unde hæretici hoc etiam non valentes intelligere declinaverunt in duos extremos errores. Quidam enim, ut Eutyches, et Dioscorus nimium volentes salvare, quod unio esset substantialis, dixerunt, quod facta erat unio in natura, ita quod ex divina, et humana resultabat una natura, non autem man-